EXERCITATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

VENÆ SECTIONIS IN VARIOLARUM CURATIONE USU

QUAM

DIVINA FAVENTE GRATIA

CONSENSU ET AUTORITATE AMPLISSIMI MEDICORUM IN ILLUSTRI ACADEMIA JULIA ORDINIS

PRÆSIDE

HENRICO MEIBOMIO, MED. D. EIUSDEMQ; AC HISTOR. ET POES. PROF. PUBL. ET ORD. FACULT. MED. SEN. AC h. t. DECANO SPECTABILI, NEC NON ARCHIATRO GUELPHICO

DN. FAUTORE, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO ÆTATEM VENERANDO

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI

PUBLICO ET SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI SUBIICIT

JUSTUS HENRICUS KREIENBERG

HELMSTAD.

IN MAGNO JULEO

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

Ad diem IX. Maji.

HELMESTADI,

Typis GEORGII-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.

Th. I.

NOn eſt nunc animus mihi totam de Variolis doctrinam, earumq; integram curationem tradere, cum tot de iis libri & diſſertationes exſtent, & in plurimis etiam circa curationem illarum inter ſe conveniant Medici.

II.

Unum tantum circa harum curationem diſquiram, idq; maximi momenti, an ſcilicet Venæ ſectio locum habeat, & an neceſſaria vel utilis, deinde etiam, ſi hoc ſit, in quibus corporibus & quo tempore adhiberi debeat?

III.

Quæ quidem quæſtio in Scholis Medicis dudum agitata, nec dum plane deciſa, nuper etiam peritorum imperitorumque judicia paſſa eſt, quando relatio de morbo & morte Sereniſſimæ & Potentisſimæ Reginæ Magnæ Britanniæ MARIÆ bis inſtituta Venæ ſectione, ſemel ante, & iterum poſt eruptionem variolarum, in vulgus ſpargi cœpit.

IV.

Ut non ingratum fore exiſtimem, ſi quæ mihi circa hanc rem probabilia viſa fuerunt, & â Cl. Dn. Præſide judicio & experientia confirmata didici, publicæ diſquiſitioni ſubjiciam. Cui labori Divinum Numen clementisſime adſit, faxitq́; ut in ſui nominis gloriam proximiq́; commodum unice cedat!

V.

Inter varia puſtularum papularumq; genera, quibus corpus humanum ſæpe infeſtatur, non infrequens etiam eſt illud, quod Germani die Pokken / die Blattern / vocant; Latinè hodie Variolas, nomine quidem veteribus inuſitato & ab Arabicorum ſcriptorum interpretibus demum in conſuetudinem ducto, Medici vocant.

VI.

Cum autem plures puſtulæ Variolarum nomine hodie veniant, quæ tamen multum inter ſe differunt: de illis ſaltem hac in diſſertatione ſermo mihi erit, quæ cum febre acuta & cum gravibus ſymptomatibus plerumq́; omnis ætatis homines, pueros verò præſertim, invadunt, & ſuppurantur, & hæ veræ Variolæ appellantur. Spurias verò Germani die Wind-Pokken vel die Schaaffs-Pokken appellant, quæ vel tanquam veſiculæ humore pellucido plenæ, vel pauca cum ſanie & ſparſim, & quod huc imprimis pertinet, rariſſime cum febre prorumpant.

VII.

Veras autem Variolas ſemper cum febrili aliqua commotione incipere, illarumq; principium in p. n. ſangvinis agitatione & ſubſequente quaſi deſpumaſcentia conſiſtere, non eſt ut multis argumentis demonſtrem, ſed potius tanquam rem exploratam & ſatis diutina & quotidiana experientia confirmatam hic ſuppono. Haud enim quenquam fore arbitror, qui phænomena in principio variolarũ accedentia diligenter penſitans, rem hanc in dubium poſſit vocare, quemq; non laſſitudo illa, dolor capitis & lumborum, horrores, anxietates & ſumma inquietudo, vomitus, ſitis ingens, calor, pulſus celer, oculorum rubor, aliaq; ante eruptionem variolarum contingentia ſymptomata cumq; aliis febribus communia, in hanc ſententiam deducant.

VIII.

Quæ autem à quibusdam variolarum ſine febre pauca adducuntur exempla, rem hanc non evertunt, cum febris hæc ſe non ſemper eodem modo habeat, nec ſemper eadem vehementia quosq; affligat, interdum quidem citò terminum ſuum percurrens, interdum autem tardior, & lenta, facile Medico non ſatis hic attento nec in principio ad ægrum vocato imponere eumq; fallere poſſit. Et in infantibus facilior deceptio contingit, quia in illis ſæpe variolæ ſubito in cute prorumpunt, in benignis imprimis aeris conſtitutionibus, ut prægreſſa aut comitans febris vix obſervetur.

IX.

Veteres Medici Arabes, qui primi quidem hiſtoriam Variolarum conſignarunt & ſecundum omnia ſua phænomena accuratius deſcripſerunt, ea de cauſa non ſolum in Practicis ſuis libris, non alibi niſi in doctrina de febribus, de Variolis agunt, ſed in illarum etiam curatione maximè ad hanc febrem reſpiciunt. Uti celeberrimus Rhaſes quamvis peculiarem de morbis puerorum ſcripſerit librum, in eo tamen Variolarum nullam facit mentionem, ſed in libro ad Almanſorem cap. 19. ubi ex profeſſo de febribus agit. Hunc deinde ſecuti etiam ſunt prudentes plurimi & noſtri ævi celeberrimi Medici Sennertus, Riverius, Williſius aliiq; Et Thomas Sydenham, diligens ille temporum quorundam anni eorumq; conſtitutionum inq; illis graſſantium morborum obſervator & deſcriptor Anglus, dum inter alios Variolarum etiam epidemicè graſſantium hiſtorias tradit, ſemper ad febrem reſpicit.

X.

Cum igitur certum ſit ante & in Variolarum eruptione ſemper febrim aliquam obſervari, dicendum etiam, qualisnam ſit illa febris. Eſt autem illa valde acuta ſæpe, omniaq; ſymptomata tum habet majora & citò terminum ſuum abſolvit: interdum verò non ita magna eſt, continua tamen, licet incertas vel etiam certas quotidie ſub noctem, aut tertio quovis die, habeat exacerbationes: interdum etiam malignitatis particeps eſt; κακοήθεια non ſtatim licet ob-

ſer-

ſervabili. Et quamvis hæc febris aliquando ſporadice ſaltem unum vel alterum inficiat, frequentiſſime tamen populariter & epidemicè graſſatur, tumq; contagioſa & ſæpe maligna eſſe cernitur.

XI.

Febris hæc varioloſa cum aliis febribus continuis in multis convenit, nec ratione invaſionis ab illis differt, excretionem tamen cutaneam ſingularem habet. Fit autem excretio in febre varioloſa ſub macularum nunc majorum, nunc minorum & aciculæ caput æquantium forma, quæ verò deinde in altum ſeſe elevant & in puſtulas abeunt & criticè quaſi cum morbi allevatione utplurimum protruduntur. Secus ac in petechialibus febribus fit, in quibus materia quidem ſub macularum ſpecie exterius prorumpit, papulæ tamen non fiunt, nec ſuppurantur, nec etiam criticè ſed ſymptomatice ut plurimum prodeunt.

XII.

Ab his jam puſtulis non tantum partes corporis noſtri externæ, quarum nullas pene ab his liberas obſervamus, obſidentur, ſed nec internæ ab illis liberæ manent, ut præter oculos, nares, aures, fauces, etiam aſperam arteriam, gulam & pulmones ab illis infeſtari raucedo, tuſſis, angina & dyſpnoea, de quibus graviter ſæpe conqueruntur, apertum faciunt. Imo ventris etiam inferioris viſcera ab illis infici non

ſolùm

ſolùm ſectiones variolis demortuorum docent, ſed ſæpe etiam excrementa ab illis tam per vomitum quam per alvum ejecta fœdisq; cruſtis referta declarant.

XIII.

Contingit autem hæc Variolarum proruptio tertio, quarto vel quinto ab acceſſione febris die, illisq; jam rite productis ſymptomata & febris remittunt, tandem vero illis ſuppuratis & ad maturationem deductis plane ceſſant.

XIV.

Interdum verò accidit, ut variolis licet in cute ſe jam oſtendentibus, febris illa non ceſſet, ſed vel continuet, vel, quamvis remittat, deinde tamen de novo quaſi redeat novumq; vigorem acquirat; & hoc non raró accidit in criſi illa imperfecta ubi natura in opere ſuo quod aggreſſa erat vel impeditur vel malignitate quaſi ſopita ab opere deſiſtit, vel ſangvini iterum aliquid peregrini accedit, quod illum ad hanc febrilem commotionem adhuc diſpoſitum iterum excitet. Sicut id non raró contingit ab inflammatione viſceris alicujus interni, faucium, pulmonum, hepatis, ubi tum gravi in periculo verſantur ægri, & angina, pleuritide, peripneumonia pereunt.

XV.

Variolæ hæ ad maturationem deductæ, poſtquam deciderunt, nullam interdum ſui notam relinquunt, inter-

interdum autem cicatricibus foveisq; relictis cutem defoedant, & in quibusdam partibus, uti in oculis viſus, in auribus auditus, in naribus olfactus læſionis cauſa eſſe poſſunt. Quod ſi internæ partes variolis obſeſſæ fuerint, gravior ſæpe noxa, non ſine vitæ periculo interdum, oritur; præter enim ulcera illa, quæ ſæpe in pulmonibus relinquuntur, variosq; alios affectus, variolæ etiam, dum matureſcunt, tumore ſuo in faucibus & pulmonibus, præcluſo aeris acceſſu vel pulmonum liberâ explicatione, perq; illos ſanguinis motu impedito, ſuffocationem inducere poſſunt, ut propterea ſolliciti Medici cura circa hoc meritò requiratur.

XVI.

In principio autem maximè ad febrim cura eſt dirigenda, quæ primaria hic eſt, non ſymptomatica & præterea valde ſæpe acuta, illaq; ita moderanda ut ex naturæ inſtituto per variolas in extremis ſeſe ſolvat. Docet enim experientia, plures vi febris, variolis adhuc latentibus, perire, quàm ipſarum variolarum violentiâ tolli & ſuffocari. Pereunt etiam multi, dum, variolis licet ſeſe oſtendentibus, non matureſcentibus tamen, & ut vulgò loquuntur, recedentibus, febris non ſolvitur, imperfectâ veluti criſi.

XVII.

Valde quidem benignus interdum eſt hic morbus, ita, ut etiam citra ullam Medici opem, citra ulla aſ-

 ſumta

ſumta medicamenta feliciter â multis ſuperetur, & plures ab hoc morbo reconvaleſcant, quàm moriantur tam infantes quàm adulti, quamvis ordinarie hi præ illis magis periclitentur. Nec diffiteor aliquando felicius evadere plebejos, qui vel ob penuriam medicamentis planè deſtituti, vel levibus & domeſticis auxiliis contenti ſunt, morbo nihil damni poſt ſe relinquente; præ ditioribus, qui in imperiti Medici manus aliquando incidentes tot expellentibus, cardiacis & ſpecificis & quidem calidioribus obruti, febre nimis auctâ, morbo ſuccumbunt. Illudq́; locum habet maximè in quibusdam anni conſtitutionibus & calidioribus potiùs quàm frigidis regionibus; quomodo in Perſiâ deambulantibus ſine notabili ſangvinis agitatione variolas erumpere, teſtis eſt *Joſephus de Medicis Cretenſis apud Horſtium t. 2.*

XVIII.

Optandum tamen eſſet, ut ſemper tam benignam faciem præ ſe ferrent, quàm tamen longè aliam ſæpe repræſentant epidemicè potiſſimum graſſantes variolæ, ubi cum gravibus ſymptomatibus integras familias contagio ſuo afflant, nulliq; parcunt cujuscunq; etiam ſit ætatis ſive puerilis, ſive juvenilis, ſive etiam ſenilis, adeo, ut plures etiam morti ſuccumbant, perpauci verò inde reconvaleſcant; non levi indicio, illas tum admodum contagioſas & mali moris eſſe, & tantum non inſtar peſtis alicujus ſævire, ut parentes inde ἄπαιδες facti & orbæ familiæ de vehementia illarum

quam

quàm maximè conquerantur. Quæ certe Variolæ Medicum in curatione valde circumſpectum ſuarumque rerum ſatagentem quàm maximè requirunt. Isque etiam, ſi in his curandis felix eſt non ſolùm maximam & utiliſſimam operam publico bono præſtat, ſed inſuper famam ſuam non parum augere poteſt.

XIX.

In eo autem conſiſtit Medici in hoc morbo curando opera, ut febrilem ſangvinis commotionem, quæ juxta leges naturæ in puſtulas extremarum quarumque partium deſitura eſt, ita temperet & regat, ut nec minor illa ſit quàm debeat, nec major, quàm neceſſe ſit, hoc eſt, ut præcaveat, ne excluſio illa impediatur, aut gravisſima excitata ſymptomata noceant, eruptio verò ritè contingat.

XX.

Poteſt jam hoc ipſum fortaſſis ſæpè medicamentis quidem etiam fieri, illisque & effervescentia augeri & defervescentia promoveri & nimia turbatio ſanguinis impediri, uti iisdem à Medicis non ſatis providis, dum alexipharmaca fortiora & ſpirituoſiora copioſè & diu exhibent, ſæpè numero concitatur major in ſanguine fervor, maximè noxius. Sed de medicamentis nobis jam non eſt ſermo.

XXI.

Lubet enim tantùm diſquirere, an per V. S. illa ſanguinis commotio etiam regi ad utilitatem & feli-

à diligente & prudente Medico circa Petrum Paulumque ægrotantem poſſe: juvabit tamen ea proponere, ex quibus formare judicium ſuum debet Medicus, quamvis non ita diſtinctè omnia explicari & determinari queant.

XXVII.

Verum ſtatim in principio hic illud aliquis opponere poſſet, quæſtionem hanc de Venæ ſectionis uſu in Variolis, his theſibus à me ventilandam, non eſſe magni uſus in praxi, cum infantes & pueri, rariùs adulti, variolis corripiantur, in prioribus autem illis Venæ ſectio locum non habeat. Cui quidem facilè occurri poteſt. Nam & hæ quæſtiones in praxi maximè ſunt neceſſariæ, quæ quid in certis ſubjectis agendum ſit, tantum determinant: e. g. in pueris, ſenibus, aut mulieribus, prægnantibusq; illis, præſertim circa graviores morbos, qualis utique hic variolarum in adultis eſt, quos præ pueris magis ex eo graviter laborare conſtat. Quamvis igitur fortaſſis non ſecanda eſſet vena in junioribus, tamen quæreretur meritò, an non in adultioribus, qui graviùs plerumq; laborant, ſecari debeat. Et tamen monendum eſt, uti in pueris aliis de cauſis, ſecari aliquando poteſt, & in Italiâ, Hiſpaniâ, Galliâque imprimis frequens id eſt. Clariſſimus Dominus *Præſes* etiam id in pleuritide bis in puerulis quinquenni & ſexenni hic fieri cum ſucceſſu fecit, ita nullam eſſe cauſam, cur in Variolis circa pueros, ſi aliud nil obſtet, adminiſtrari non debeat: de quô tamen deinde adhuc aliquid monendum.

XXVIII.

XXVIII.

Hisigitur præmiſſis, ſi occurrat juvenis, recte ſe in illa florida ætate habens, & quodammodo plethoricus, vel vir ſangvinei temperamenti, multi cibi & potus, quemq; ſanguine abundare probabiliter judices: ſi puella nubilis, vel temperamenti ſanguinei, ſi vidua juvencula, vel ſenior, multi cibi, & quæ parum ſe moveat, parumq; manibus laboret: ſi, inquam, in his, tempore varioloſæ conſtitutionis talis ſanguinis agitatio, cum ſymptomatibus gravibus th. VII. deſcriptis appareat, ſi etiam tremores artuum, convulſiones & epilepſiæ ſuperveniant, ſtatim ad Venæ ſectionem deveniendum eſſe arbitror, nec dubito, quin illa maximi uſus futura ſit. Indicationes ſanè Venæ ſectionis hic adſunt, de contraindicantibus autem deinde videbimus, ideoq; ratio pro eâ militat, experientia verò eam confirmat quoq;, quâ tamen hactenus alienâ, non meâ, uti cogor.

XXIX.

E Gallis non niſi unum adducam *Ballonium Eph. & Epid.* l. 1. p. 50. ex Hiſpanis *Lud. Mercatum* l. 2. de morb. puer. c. 15. ne diverſitas regionis objiciatur. Ex Anglis pro me militat *Williſius* l. de febribus c. 15. Ex Germanis *Joh. Dan. Horſtius* Epiſt. Medicin. 10. p. 53. qui experientiam teſtari ſcribit, in Variolis & morbillis Venæ ſectionem initio adhibitam cor humoribus non replere, ſed roborare, ut expellere poſſit ſufficienter variolas & morbillos. Et Cl. Dn. *Præſes* mihi affirmavit,

mavit, ſe vel in centum adultis in variolis optimo cum ſucceſſu in initio inſtituiſſe Venæ ſectionem, & hoc quoq; obſervaſſe, ubi in eadem domo quibusdam ſectâ venâ, aliis non, priores felicius evaſiſſe, & pauciores quoque variolas habuiſſe. Quibus unum ex illius obſervatione addam notabile exemplum Sereniſſimi Principis XVII annorum, cui ex locô, ubi variolis decubuerant plures, reduci in aulam ſuam cum omnium membrorum gravitate & dorſi quaſi confractione, cum ante noctem exhibitus fuiſſet bezoardicus pulvis, inde ille totam eam inquietam & anxiam cum ſcapularum mirâ convulſione & elevatione, tremulis labiis, brachiis verò convulſivis motibus agitatis non ſine delirio habuit, mane dein quaſi ſopore aliquô oppreſſus, ſemiclauſis oculis jacuit; inſtitutâ autem *Cl. Dn. Præſidis* conſilio largâ Venæ ſectione mox ſibi redditus juſculum popoſcit, eôque datô, non niſi de levi anxietate conqueſtus intra bihorium in facie maculis quibusdam & ante noctem per totum corpus iisdem inſignibus refertus fuit, ceſſantibus ſymptomatibus & totô morbô feliciſſime decurrente.

XXX.

Sydenhammius quidem non ita efficacem putat eſſe Venæ ſectionem, nec idoneam ſatis, quæ juſtos intra limites variolas coërceat, *diſſert. de Variolar. confluent. curatione p. 25. & 26.* loquitur tamen ille de confluentibus variolis, & ſi poſt Venæ ſectionem æger mox lectulô committatur & calidioribus cardiacis tractetur;

An

Atque in obſerv. p 192. illis cardiacis potiùs, quàm præ-greſſæ V. S. mortem, ſi contigerit, adſcribendam putat. Et tamen valde dubito, an rectè ſe habeant ejus obſervationes, & ab aere intromiſſo tam felix ſequatur ſanguinis contemperatio. Certè, ut in tali ſanguinis fervore citum aliquod remedium requiritur, ita non video quî melius aliquid & aptius Venæ ſectione excogitari poſſit, cum reliqua omnia tardiùs & lentiùs agant, nec gravibus ſymptomatibus compeſcendis vel avertendis, ut delirio, convulſionibus, aphoniæ quod tamen de Venæ ſectione pronunciat *Velſchius Curat. propr. 4. dec 2.*

XXXI.

Quin videtur ſpontè in Variolis ante eruptionem eveniens ſanguinis hæmorrhagia & in adultis & in pueris dum eruptionem faciliorem & ipſam curationem faciliorem reddit, præire nobis, & nos ad imitationem animare. Notavitq; Cl. Dn. *Præſes* in puellâ nubili, menſes cum ipſis maculis variolarum prorumpentes, & quidem juſto copioſiores, cum ante proruptionem vena fuiſſet in brachio ſecta, non tantùm nullum attuliſſe damnum, ſed præter ſpem ad felicem eventum eas deduxiſſe.

XXXII.

Hactenus igitur primæ illi quæſtioni th. XXI. motæ, an per Venæ ſectionem ſanguinis ille in principio variolarum fervor regi & temperari ad utilitatem ægri & felicem morbi eventum poſſit, ſatis factum arbitror. Secundæ quæſtionis deciſio etiam difficilis

non eſt, cum Venæ ſectio præ medicamentis citam operationem habeat, quamvis medicamenta non eſſe ſimul adhibenda, idcirco non dixerim. Tertia autem quæſtio dubia magis eſt, an ſcilicet ita ſimpliciter neceſſaria ſit Venæſectio ut in variolis omitti nunquam debeat, aut ſaltem aliquando ita neceſſaria ſit, ut omitti citra ægri periculum nequeat.

XXXIII.

Nam & ſupra dictum eſt in his frigidioribus regionibus non temerè in minus adultis, rariſſimè in pueris, minimè in infantibus inſtitui Venæ ſectiones, quorum tamen quotidiè plurimos feliciter morbum hunc ſuperare videmus. Dein ex adultis multi occurrunt, inter fœminas præſertim, qui pertinaciter phlebotomiam recuſant, & tamen evadunt. Quibus quidem ita reſpondetur, quamvis Venæ ſectio, ut in pleuritide, peripneumoniâ, anginâ aliisque cum acutâ febre inflammationibus, ſic non ſecus in variolis juvet, tamen ejus intermiſſionem non ſtatim lethales eas reddere; nec tamen etiam, ſi aliqui citra Venæ ſectionem evadunt, inde ſequi, in variolis, vel pleuritide, perineumoniâ &c. nullius eſſe uſus phlebotomiam.

XXXIV.

Quin poteſt aliquando caſus incidere, ut videatur Venæ ſectio in variolis omnino neceſſaria, & ſi illâ intermiſſâ moriatur æger, intermiſſio iſta aliquomodo cauſa mortis fuiſſe dici poſſit. Prudens Medicus hîc quidem nil temerè pronunciabit, cum eventus morborum â variis cauſis dependeat, nec gravabit ſtatim ſuo judicio, ſi quis fortè eam intermiſit,

meretur

meretur tamen legi & diligenter conſiderari hiſtoria, quam recitat *OſWaldus Grembs*, ſectator aliàs Helmontii (qui Venæ ſectioni parum tribuit) *in Arb.rui-noſ. & integr.hom.* l. 11. c. 3. §. 56. de virgine XIV. annorum, quæ variolis periit, in quâ Venæ ſectionem omiſſam cauſam mortis fuiſſe intrepidè pronuntiat, graviterque perſtringit reliquos Medicos, qui ab uno propoſitum remedium hoc, denegatô aſſenſu non accipere, nec tam periculoſam ſcilicet aleam experiri voluerint.

XXXV.

Quod infantes puerosque attinet, mirandum adeo non eſt, illos etiam citra Venæ ſectionem, ut alias acutas febres, ita quoque variolas feliciùs ſuperare, quàm adultos: Dependet enim hoc â rariore eorum corporis texturâ & faciliori tranſpiratione. Vide quæ notavimus th. XXV. Imo, quamvis abundare pueri ſanguine videantur, tamen fortaſſis in illis non ita ut in adultis, vera eſt plethora, ſed multi tantùm ichores replent vaſa, quam ob cauſam non ita in illis, niſi in gravibus inflammationibus, venam ſecandam eſſe judicat D. *Gualterus Harris* Medicus Londinenſis *de morbis pueror. part. 3.*

XXXVI.

Interim non nego, poſſe aliquando Venæ ſectionem in variolis præter neceſſitatē inſtitui, aliquando etiã eam magis nocere, quàm prodeſſe, ſi non ad indi-

 cationes.

cationes habeatur reſpectus, aut ſi etiam magnâ nimis quantitate inſtituatur. Ut enim in omni morbo Venæ ſectionis abuſus aliquis eſſe & incongruè illa adhiberi poteſt: ita non minus in Variolis, poteſtq; per incongruam Venæ ſectionem ebullitio illa ſanguinis per quam variolæ exeunt, nimis infringi. Vide quæ *Williſ. lib. de febr. c.*15. habet, ubi de methodo in Angliâ uſitato ita loquitur: *Olim inter noſtrates hæc res ſacra audiebat, neq; ſub ullo necsſietatis prætextu phlebotomia admitti ſolebat: nuper autem experientiâ duce in quibusdam caſibus ſanguinem mitti omnino utile & neceſſarium eſſe comprobatur: quæ tamen evacuatio, ſi in quâvis conſtitutione indiſcriminatim adhibeatur, nec quando iſtâc opus fuerit, in quantitate nimis largâ peragabatur, magna ſæpe in commoda exinde ſequuntur,* quod ultimum exemplo docet. Vide etiam *Sydenham.* obſerv. p. 187.

XXXVII.

Et ſanè, uti in Febribus, quæ per malignas conſtitutiones & peſtiferas, cum maculis etiam, graſſantur, quamvis â prudenti Medico Venæ ſectio cum fructu aliquando inſtitui poſſit, promiſcuè tamen neutiquam debet: Ita non minus, ubi Epidemicæ Variolæ maligni aliquid habent (uti fieri th. X. & XXIII. dixi) & inter puſtulas petechiæ quoque apparent, majori cautione agere Medicus, & quid ex uſu ægri ſit, juxta omnes circumſtantias providè determinare debet. Hinc nullam in illâ malignâ varioloſâ conſtitutione, quam *Tulpius* l. 4. obſ. 52. refert Venæ ſectionis mentionem fieri videas.

XXXVIII.

XXXVIII.

Diligenter igitur conſiderare Medicus & examinare conſtitutiones illas Epidemicas debet, an Variolis affecti magnas patiantur ebullitiones ſanguinis & hinc gravia ſymptomata, an hæmorrhagias, & quali cum effectu, an verò malignitatis certa indicia ſint. Semper autem corpus illud quod præ manibus habet, inſpicere, quomodo & ante affectum fuerit, & quid per morbum hunc patiatur, debet, nec tantùm ea, quæ th. XXIV. propoſui, ſed omnia alia quoque, quæ circa indicationes Venæ ſectionis in Methodo medendi docentur, examinare & tum demum ad Venæ ſectionem accedere.

XXXIX.

Rectè etiam â viribus contraindicans Venæ ſectionis deſumi ſolet, ſed hîc quidem in principio variolarum defectus virium non eſt, ſed oppreſſio tantùm aliqua, â nimiâ ſanguinis conturbatione, quæ, dum per Venæ ſectionem aufertur, non pereunt magis vires, ſed revertuntur.

XL.

Unum adhuc de tempore Venæ ſectionis diſpiciendum eſt. Equidem cum ratione febris & magnæ illius ſanguinis turbationis vena ſecanda ſit, quæ in principiô variolarum obſervantur, facilè patet, eo ipſo tempore venam eſſe ſecandam, ut ſcilicet ad medio-

diocritatem aliquam redacta ſanguinis ὁρμή deferveſcere faciliùs, & juxta naturæ intentionem in variolas exire poſſit. In hoc tempore igitur omnes conveniunt, qui Venæ ſectionem in variolis admittunt.

XLI.

Verùm quæritur ulterius, annon deinde etiam, & oſtendentibus ſe jam maculis & elevantibus ſe variolis, ſecare quoqe venam liceat? Et hîc videas pleroſque etiam ex illis, qui Venæ ſectionem in principio ante macularum eruptionem admittunt & laudant, in contrarium ire, & poſt variolarum eruptionem nullum V. S. locum relinquere.

XLII.

Utuntur verò tantùm non omnes illô argumentô, quod per Venæ ſectionem materia â centro ad circumferentiam trahatur, & ita motus naturæ impediatur, cum in variolis, ut illæ feliciter expellantur, ire â circumferentiâ ad centrum debeat.

XLIII.

Non eſt autem hoc argumentum ullius momenti. Et primò quidem miror ab illis hoc adferri qui Venæ ſectionem in principio variolarum concedunt, & non videre, quod hoc argumentum, ſi ſolidum eſt, non tantùm impugnet Venæ ſectionem, quæ

poſt variolarum excluſionem inſtituatur, ſed & illam, quæ ante eam, uti etiam à multis prior quoque V. S. eo ipſo argumento improbatur. Nam ſi verum per Venæ ſectionem fieri retractionem â centro ad circumferentiam, neq; in principio illa fieri debet, ſed jam tum quoque naturæ conatus verſus exteriora promoveri.

XLIV.

Deinde & illud miror, tam eos, qui ante Harvejum, verô ſanguinis motu incognitô, ſcripſerunt, quàm qui poſt eum, hôc argumentô uti, cum tamen nec ex priore, nec ex poſteriore ſententiâ hæc doctrina ſubſiſtere poſſit.

XLV.

Si enim ex veteri doctrinâ per venas ad extrema â corde deducitur ſanguis, vena ſecta non potuit impedire illius delapſum ad extrema, ſed promovere potius. Si verò juxta Harvejum, & rei veritatem, ſanguis per arterias ex corde ad extrema fertur & per venas ad cor redit, ſemper quidem etiam naturaliter aliquid â circumferentiâ ad centrum, ex minimis ſcilicet vaſis ad cor redit, & proinde in illis, qui variolis tentari incipiunt, uti aliquid per arterias ad extrema propellitur, ita per venas ad cor cum ſanguine reduci poteſt. Venæ ſectio igitur nihil novi præſtat, nec curſum ſanguinis immutat, ſed potiùs, dum venâ ſectâ ſanguis effluit, ille qui in minoribus venis eſt, promtiùs ad majores fluit, & porrò ſanguis ex arte-

riis

riis minimis provocatur magis, & ita ex majoribus quoque arteriis, & ipſo tandem corde, ſeu centro, ad circumferentiam propellitur magis, tantum abeſt, ut à circumferentiâ ad centrum aliquid per Venæ ſectionem magis moveatur. Id quod aliis in corpore noſtro ſecretionibus doceri poteſt, quando ad ſudorem, urinam, ac menſes promovendos in plethoricis corporibus vena cum commodo ægri ſecatur.

XLVI.

Hâc quidem igitur de causâ non quidem intermittenda fuerit Venæ ſectio poſt eruptionem: nec tamen etiam temerè inſtituenda illa, abhorentibus eam plerisq; Practicis. Scilicet nil agere Medicus citra indicationem debet, ideoq; etiam in Venæ ſectione poſt eruptionem inſtituendâ ſollicitè colligendum eſt omne id, quod indicat, quodq; contraindicat, ut æquô libramine inſtitutô, quid præponderet, rectè dijudicetur.

XLVII.

Quod ſi igitur exanthematibus apparentibus ſenſim tumultus ille in ſanguine ceſſare & febris & ſymptomata remittere incipiunt, ſi variolæ ipſæ indies elevantur magis, nulla adeſt Venæ ſectionis indicatio, ſi præſertim etiam jam tum vena fortaſſis ante eruptionem ſecta fuerit, tumq; natura ſibi relinquenda vel mitioribus expellentibus adjuvanda eſt.

XLVIII.

XLVIII.

At ſi, quod aliquando contingere norunt Practici, erumpentibus licet variolis, febris tamen non maneat tantùm, ſed & augeatur, & ebullitio ſanguinis non ceſſet, anxietasq; & ſitis & capitis dolores maneant, diligenter perpendere debet Medicus, an id ipſum â ſanguinis adhuc copiâ & effreni nimis ebullitione eveniat, tumq; novâ obortâ indicatione venam iterum ſecare, niſi fortè vires contraindicent.

XLIX.

Quod ſi præterea pectus valde oppreſſum eſſe difficilis ſpiratio indicet, ſi pleuritis aut angina ſuperveniant, planè non video, cur non ad certum illud in talibus remedium, Venæ ſectionem ſcilicet, recurrere liceat. Et in hôc caſu in ſententiam noſtram eunt quoque illi, qui aliàs Venæ ſectionem poſt variolarum eruptionem improbant.

L.

Poſſet verò hîc objici, etiamſi tantum periculum non ſit â Venæ ſectione poſt variolarum eruptionem, impediri tamen per illam ſuppurationem variolarum, & tardiùs procedere. Et hoc quidem non nego, etiamſi ſanguis â circumferentiâ ad centrum per Venæ ſectionem non retrahatur, tamen contingere poſſe, ut depleto ſanguine non tam citò ſuppurentur variolæ. At, quale inde nocumentum metuendum eſt? Et ſi leve inde metuendum eſt, annon majoris mali & periculi

evitatione id compenſabitur? nam, jam tum dixi, non debere eam poſt eruptionem variolarum, inſtitui, niſi â gravibus cauſis indicetur. Fortaſſis etiam aliquando ex uſu ægri eſt, ut variolæ non nimis citò excreſcant & ſuppurentur, ſed pedetentim, ne e.gr. in faucibus & pectore fiat ſuffocatio.

LI.

Quâ autem quantitate ſanguis per phlebotomiam in Variolis emittendus ſit, adhuc diſquirendum videtur. At id quidem in genere determinari non poteſt, ſed prudentis Medici, qui ſanguinis copiam & fervorem, ægri temperamentum & robur & ætatem reliquasq; circumſtantias conſideraverit, relinquitur judicio. Illa tamen quæ eruptionem præcedit, largior, quæ poſt eam neceſſariò aliquando inſtituenda eſt, parcior eſſe debet. Multi etiam Venæ ſectiones aliquoties repetunt. Vid. *Mercatum* loco ſupra cit.

LII.

Verbo etiam aliquid adhuc addendum eſt de Venæ ſectione in puerulis variolis graviter laborantibus, an in iis locum habere debeat, de quâ quæſtione jam tum th. XXIX aliquid dictum eſt. Plerumq; autem non eſſe illam necesſariam, facili ſolutione inveniente & fervore ſanguinis, ut th. XXXV expoſitum eſt, faciliùs in iis contemperando, uſus docet. Cum tamen multi pueri in certis conſtitutionibus in his noſtris locis moriantur, etiam antequam prorumpant variolæ,

variolæ, quæritur, annon in tenerâ etiam ætate, ſi venæ ſectio inſtituatur, ſanguinis fervor temperari & variolæ hoc modo ad eruptionem deduci, morsq; præcaveri poſſit? *Riverius, Gallus, ſed Monſpelienſis Medicus* ſcribit, *Pariſienſes Medicos in teneriori ætate & lac ſugentibus pueris à Venæ ſectione non abſtinere*, quam tamen mittendi ſanguinis licentiam nullius ê ſapientibus ſcriptoribus patrociniô defendi poſſe arbitratur, ipſe tamen antea dixerat ita neceſſariam eſſe phlebotomiam in periculoſis variolis, ut tenellula puerorum ætas illam non impediat, inq; pueris quarto & non rarò tertio anno miſſionem ſanguinis uſurpari ſcribit. Credo verò ego & ſequor Cl. Dn. Præſidis judicium, fortaſſis aliquando in Venæ ſectione in puerulis alibi peccari, non minùs tamen in Germaniâ & ſeptentrionalibus regnis in omiſſione, cum experientia doceat largas narium hæmorrhagias non nocere pueris, & in ipſis variolis, ſi illis ante eruptionem ſanguis ex naribus erumpat, eâ ipsâ juvari. Cur igitur prudenter, omnibus rectè perpenſis, non poſſit proportionata corpori illorum inſtitui venæ ſectio? ſed contra vulgi & muliercularum opinionem aliquid facere eſt contra torrentem navigare.

LIII.

Quod ſi ſuſpecta ſit Venæ ſectio pergit *Riverius*, *propter ætatem tenellam, vel quod tempus idoneum jam tranſactum fuerit, ſanguinis redundantia auferri poterit cucurbitulis ſcarificatis dorſo, ſcapulis & femoribus admotis.* Et ſic quidem minùs metuenda foret repulſio â cir-

 cumfe-

cumferentiâ ad céntrum, ſi quid ſubeſſet timoris, quem vanum th. XLIII. & ſeqq. oſtendimus. Ita *Amatus Luſitanus* in puerulo VI annorum oris torturâ & tremore totius correpto, poſt ſanguinis ℥iv crurum ſcarificatione educti, exanthemata feliciter effloruiſſe vidit *Cent. 3. cur. 15.*

LIV.

Obſignabo Diſputationem hanc verbis magni illius Medici Pariſienſis *Guidonis Patini*, cujus verba ex Theſibus ejus Lutetiæ A. MDC XLIV. publicatis & à Cl. Dno. Præſide mecum communicatis hîc apponam, ut theſis mea LII magis illuſtretur: *Præcipua*, inquit, *curationis ſpes eſt (in variolis laborantibus) in phlebotomiâ, quæ vel ineunte morbo etiam in lactentibus imò & in tenellulâ ætate, bimeſtribus trimeſtribusq́ue, vel poſt eruptionem, citò tutò & intrepidè adminiſtrata, fert omne punctum. Fruſtra propinaveris lapidem bezoardicum tam artis quàm artificis ſcandalum: fruſtra ſtillatitias illas aquas de ulmariâ & carduo benedicto, de quibus quæ dicuntur, nugæ ſunt & verba inania: fruſtra decoctum lentium & hydrotica; fruſtra & famoſas illas compoſitiones de cocco baphica & hyacintho, non tam ad valetudinem repertas, quàm excogitatas ad pompam (quaſi Medicina artium præſtantiſſima alieno & fucato illo ſplendore indigeret) nullo nomine cardiacas, titulo quidem ſpecioſas ſed effectu inanes, quæq́ue in morborum curatione non magis valent quàm nænia præfica ad excitandos mortuos.*

Hæc ille.

F I N I S.